Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Venite benedicti patris mei: possidete paratum uobis regnum ab constitutione mundi. Esuriui enim: et dedistis mihi manducare. Sitiui: et dedistis mihi bibere. Hospes eram: et collegistis me. Nudus: et operuistis me. Infirmus: et uisitastis me. In carcere eram: et uenistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti dicentes. Domine. quando te uidimus esurientem et pauimus: sitientem et dedimus tibi potum: Aut quando te uidimus hospitem et collegimus te: aut nudum et operuimus te: aut quando te uidimus infirmum. aut in carcere. et uenimus ad te: Et respondens rex: dicet illis. Amen dico uobis: quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis mihi fecistis. Tunc dicet et his qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem eternum: qui paratus est diabolo et angelis eius. Esuriui enim: et non dedistis mihi manducare. Sitiui: et non dedistis mihi potum. Hospes eram: et non collegistis me. Nudus: et non operuistis me. Infirmus et in carcere: et non uisitastis me. Tunc respondebunt et ipsi dicentes. Domine. quando te uidimus esurientem. aut sitientem. aut hospitem. aut nudum. aut infirmum. uel in carcere. et non ministrauimus tibi: Tunc respondebit illis dicens. Amen dico uobis: quamdiu non fecistis uni de minoribus his. nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium eternum: iusti autem in uitam eternam.

In diebus illis. Locutus est esaias prophetam dicens. Querite dominum dum inuenire potest: inuocate eum dum prope est. Derelinquat impius uiam suam. et uir iniquus cogitationes suas: et reuertatur ad dominum et miserebitur eius: et ad deum nostrum quoniam multus est ad ignoscendum. Non enim cogitationes mee cogitationes uestre: neque uie mee uie uestre. dicit dominus. Sicut enim exaltantur celi a terra: sic exaltate sunt uie mee a uiis uestris. et cogitationes mee a cogitationibus uestris. Et quomodo descendit imber et nix de celo. et illuc ultra non reuertitur. sed inebriat terram et infundit eam. et germinare eam facit. et dat semen seminanti et panem comedenti: sic erit uerbum meum quod egredietur de ore meo. non reuertetur